

in Joannem, & serm. 218. de passione Domini n. 14. Postremò quod sub libri finem legitur, nondum à radice præcisum eum esse, qui mala cupiditate agit opera quæ à regno Dei excludant. si modò non pro ipsis operibus etiam veritati apertissimæ resistat, nonnullam difficultatem affert, dum comparatur ad librum 2. contra Crescon. c. 21.



S. AURELII AUGUSTINI
HIPPOENSIS EPISCOPI

AD CATHOLICOS
EPISTOLA
CONTRA DONATISTAS,
VULGO
DE UNITATE ECCLESIAE
LIBER UNUS.

Proposita quæstione, Sitne Christi Ecclesia apud catholicos, an apud donatistas, quod hic nonnisi ex sacræ Scripturæ locis certis & claris definiendum: proferuntur primum testimonia ex Instrumento vetere ac novo quam plurima, quibus ostenditur doceri evidenter ac certè, Ecclesiam Christi veram eam esse, quæ toto terrarum orbe diffunditur. Deinde verò, quæ pauca ex iisdem canonicitis Scripturis objectari à schismaticis solent pro parte Donati, ex & ambigua incertaque esse, & per se ad eorum tuendam cauissam, cum ratione contraria explicari possint, nullum robur habere. Donatistarum etiam de traditione, de persecutione, aliæque in Catholicos calumniæ data occasione refutantur.

AUGUSTINUS episcopus, dilectissimis fratribus ad nostræ dispensationis curam pertinentibus: Salus quæ in Christo est, & pax unitatis & caritatis ejus sit vobis, & integer spiritus vester & anima & corpus in diem Domini nostri Jesu Christi seruetur.

CAPUT I. **M**EMINISTIS, fratres, Petiliani donatistarum constantiniensis episcopi perparvam epistolæ partem in manus nostras aliquando venisse, eique particulae quod responderimus scripsisse me ad dilectionem vestram. Sed cùm postea tota & plena nobis à fratribus qui ibi sunt mitteretur, placuit ei ab exordio respondere, tamquam præsentes ageremus: quemadmodum semper scitis nos cum eis agere voluisse, ut sine studio contentio-
nis, quid vel ab ipsis vel à nobis dicatur, collata disputatione omnibus appareret. In multorum enim manibus illam epistolam esse dideimus, qui etiam multa ex illa memoriter tenent, aliquid verum adversus nos eum dixisse arbitrantur. Sed nunc si legere voluerint quæ respondimus, profectò intelligent quid sibi abjiciendum, & quid tenendum sit. Neque enim illa nostra sunt, sicut ipsi possunt considerare, si velint sine studio partium judicare: nam de Scripturis sanctis ita sunt omnia prolata & probata, ut ea negare non possit, nisi qui illarum Scripturarum se inimicum esse profitetur. Sed de illo opere nostro video quid possint dicere illius tam male caussæ pertinacissimi defensores: me videlicet absentis epistolæ respondisse, ubi verba mea ille non audiret, quibus continuò responderet. Defendat ergo verba epistolæ

sux,

sux, & si potest ostendat, responsonibus meis non ea fuisse refutata atque convicta. Aut si hoc non vult, faciat & ipse huic epistolæ meæ, quod ego illi ipsius, cui jam respondi. Illam quippe scriptis ad suos, sicut ego hanc ad vos: cui si velit etiam ipse respondeat.

2. QUÆSTIO certè inter nos versatur, ubi sit Ecclesia, utrum apud nos, an apud illos. Quæ utique una est, quam majores nostri Catholicam nominarunt, ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim, χαρὸν grecè dicitur. Hæc autem Ecclesia corpus Christi est, sicut Apostolus dicit: *Pro corpore ejus, quæ est Ecclesia.* Unde utique manifestum est, eum qui non est in membris Christi, christianam salutem habere non posse. Membra vero Christi per unitatis caritatem sibi copulantur, & per eamdem capiti suo cohærent, quod est Christus Jesus. Totum igitur quod annuntiatur de Christo, caput & corpus est: caput est ipse unigenitus Jesus Christus Filius Dei vivi: *Ipse salvator corporis, qui mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram: corpus ejus Ecclesia, de qua dicitur: Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Inter nos autem & donatistas quæstio est, ubi sit hoc corpus, id est, ubi sit Ecclesia. Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsitioni, an in verbis capitii sui, Domini nostri Jesu Christi? Puto quod in illius potius verbis eam querere debemus, qui veritas est, & optimè novit corpus suum. *Novit enim Dominus qui sunt ejus.*

1. Tim. 2.
19.Ephes. 5.
23.Rom. 4.25.
Ephes. 5.
27.

CAPUT II. Status caussæ inter Catholicos & Donatistas, ubi sit Ecclesia. Catholicum unde dicitur. Coloss. 1.

24. Extra Ecclesiam non est salutis spes.

3. Quæ sint autem verba nostra, in quibus eam queri non oportet, advertite, & vide te etiam ibi quid intersit inter nostra verba & illorum: & tamen in verbis nostris Ecclesiastum queri nolumus. Quidquid nobis invicem objicimus, de traditione codicum divinorum, de thurificatione, de persecutionibus, verba nostra sunt. Et in talibus quidem nos hunc tenemus modum, ut vel utraque vera esse deputentur, sive quæ à nobis, sive quæ ab ipsis dicuntur, vel utraque falsa, vel nostra vera & sua falsa, vel nostra falsa & sua vera. Et in his omnibus nullum crimen esse orbis christiani, cui nos communicamus, ostendimus. Si enim vera sunt crimina, & quæ à nobis in illos & quæ ab ipsis in nos dicuntur, faciamus quod ait Apostolus: *Donantes nobismetipsis, sicut & Deus in Christo donavit nobis*: ut maligni homines, nec illi qui fortè fuerunt vel sunt apud nos, nec qui vel fuerunt vel sunt apud illos, impediant concordiam nostram & vinculum pacis, uno eorum scelere correcto, quod se frustra separaverunt ab unitate orbis terrarum, cùm tales haberent. Si autem utraque falsa sunt, sive quæ nos illis, sive quæ illi nobis objiciunt, vel de traditione, vel de persecutione innocentium; nullam video litis causam, nisi quia est caussa ut illi se corrigant, qui se sine caussa separaverunt. Quod si nos vera dicimus, quoniam Gestæ quæ proferimus, & litteris Imperatoris ad quem tunc & primò scripserunt, & postmodum appellaverunt, & totius orbis communione firmamus, quæ autem illi dicunt, ideo falsa esse convincuntur, quia ipsis temporibus, cùm eadem quæstio versaretur, obtinere caussam suam

*Sic lib. 1.
cont. Petri.
c. 21. & 22.
& liber. 3.c.
58. & 59.*

*Ephes. 4.
22.*

suam minimè potuerunt: major in eis apparet sacrilegæ animositatis furor & animarum innocentium persecutio, quæ si solo schismatis crimine tenerentur. Et illa quidem tribuant, non omnibus, sed quibus voluerint suorum: schisma tamen crimen est omnium. Porrò si crimina traditionis & persecutionis vera volunt esse quæ objiciunt, & falsa quæ objiciuntur à nobis, nec sic purgantur à crimen schismatis. Ad quosdam quippe illa pertinere possunt, non ad universum orbem christianum. Quem si contagione perisse arbitrantur; omitto dicere, quæ multa sancti bono pacis etiam cognita mala in hominum congregatione toleraverint: illud dico, isti ostendant, quomodo eorum contagione non perierint, quos sacrilegos incestatores consecratae pudicitia feminarum inter se latere vel latuisse, vel modò nesciunt, vel aliquando nescierunt. Profectò dicturi sunt hoc ipso se non contaminatos, quod nescierunt. Quomodò ergo contaminatus est orbis, qui nescit adhuc an vera sint ista quæ dicuntur? Putemus nobis modò probata, modò demonstrata: quid agimus de tot gentibus? Deseruntur nescientes, ergo deseruntur innocentes: & cùm illud sit nullum crimen illorum, hoc esse incipit sceleratissimum nostrum. An currere debemus, & eos docere quod scimus? Ut quid hoc? Si ut innocentes sint; innocentes sunt etiam dum nesciunt. Non enim malefacta hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem non temere judicando, innocentiam custodimus. Ac per hoc, ut dixi, innocens est orbis terrarum, qui crimina quæ ab istis in quosdam dicuntur, etiam si vera dicuntur, ignorat. Ab his

Inter ma-
los quomo-
do inno-
centia cu-
stodiatur.

au-

autem innocentibus qui se ipsos separaverunt, eodem ipso crimine separationis & schismatis innocentiam perdiderunt: & modò nos docent, vera se dicere in quosdam, ut ab eis nos separent, in quos non habent vera

a quæ a dicant.

4. Hoc enim eis dicit orbis terrarum, quod quidem sermone brevissimum est, sed robustissimum veritate. Afri nempè inter se episcopi configiebant: si finire inter se obortam dissensionem non poterant, ut sive per concordiam compositis, sive degradatis qui male contendenter, hi qui bonam caussam habebant in communione orbis terrarum per unitatis vinculum permanerent; restabat utique ut episcopi transmarini, quæ pars maxima disfundebatur Ecclesiaz catholicae, de afrorum collegarum dissensionibus judicarent, illis vi-
b delicit b instantibus qui crimen malæ ordinationis aliis objiciebant. Hoc si factum non est, culpa eorum est à quibus fieri debuit, non orbis terrarum, qui non ad se perlata nescivit. Si autem factum est, quid peccaverunt ecclesiastici judices, qui crimina etiam si vera & ad se delata, sibi tamen non probata, damnare nullo modo debebant? Numquid eos mali polluere poterant, qui eis manifestari non poterant? Si autem manifestati sunt eis, & aliqua vel segnitia vel c connivenzia tales à communione removere noluerunt, & perverso iudicio pro eis etiam dixerunt sententias: quid peccavit orbis terrarum, qui caussam illam malos judices ha-
bui-

a Editi, dicunt. Melius Floriac. MS. dicant.

b Floriacensis codex, stantibus.

c In editis, uti passim in antiquis libris pro connivenzia, scriptum est, cohidentia.

buisse nescivit, & eos a male judicasse non a credidit, de quibus judicare non potuit? Si- cut enim reorum scelns, si judices latuit, non eos utique contaminavit: sic & judicum scelus, si aliquod fuit, quia orbem terrarum latuit, eum profecto contaminare non potuit.

His igitur innocentibus innocenter b com- municamus, hodieque nescientes quæ tunc acta sint. Quapropter etiam si vera esse quæ in quosdam dicunt, hodie didicerimus, nulla caussa est cur ab innocentibus qui hæc nesciunt recedamus, & transeamus ad eos, qui propterea crimine schismatis omnes impli- cati sunt, quia id fecerunt quod nos facere suadent; ut non exemplo Apostolorum tolereremus malos, sed exemplo hæreticorum de- seramus bonos. Sed faciamus orbem terrarum (quod fieri non potest) hodie nobiscum ad liquidum posse cognoscere vera esse quorundam scelera, quos isti criminantur: numquid ex hoc innocentior fieri poterit, quām erat ante quām nosset? Sicut enim * eos macu- lare non poterant incogniti mali, etiam si adhuc in hac vita essent; ita qui jam ex hac vita emigrarunt, etiam cogniti maculare non possunt. Si ergo talis est caussa nostra in ver- bis nostris de quorundam criminibus, quæ alternis nobis objicimus, ut tam invicta sit, etiam si falsa esse quæ in quosdam illorum dicimus, & vera esse quæ in quosdam nos- trū dicunt, hodie cognoscamus; quid ha- bent quod respondeant; sive illa potius ve- ra sint quæ nos dicimus, & falsa quæ dicunt,

* f. eum.

si-

a Floriacensis vet. cod. benè judicasse eredit.

a Sic Floriacensis MS. At Er. communicabimus. Am. & Lov. communicavimus.

sive utraque falsa sint, sive utraque vera sint; quando quidem & ipsi vincuntur ibi, quod solum votis omnibus sibi ut credatur, exoptant.

CAPUT III. 5. SED ut dicere coeperam, non audiamus, Hæc dicas, hæc dico: sed audiamus. Hæc dicit Dominus. Sunt certè libri Domini, quorum auctoritati utrique consentimus, utrique a cedimus, utrique servimus: ibi queramus Ecclesiam, ibi discutiamus caussam nostram. Hic fortè dicturi sunt: Quid queris in libris, quos ignibus tradidisti? Ad hoc respondeo: Quid times ne legantur isti libri, si eos ab ignibus custodisti? Eos certè ille tradidisse credatur, qui eis lectis non consentire convincitur. Aut si forte isti libri ita designant traditorem suum, sicut designavit Dominus Judam; legant in eis nominatum, & expresse vel Cæcilianum, vel ordinatores ejus, eorumdem librorum futuros fuisse tradidores, & si non eos anathematizavero, ipse cum eis judicer tradidisse. Sed neque nos in eis libris invenimus Majorini ordinatores designatos esse tradidores, quamvis hæc aliunde recitemus. Auferantur ergo illa de medio, quæ adversus nos invicem, non ex divinis canoniceis libris, sed aliunde recitamus. Quod si nolint ut auferantur, videant quia & si utraque vera sunt, nulla fuit caussa separationis illorum, ut eos fugerent quos habebant: & si utraque falsa sunt, nulla fuit caussa separationis illorum, ut eos fugerent quos in nullo crimine reperiebant: & si nostra vera, illorum autem falsa sunt; nulla fuit caussa separationis illorum, quia potius se corrigere, atque in unitate permanere debebant: & si nostra fal-

a In excusis, credimus.

falsa sunt, & illorum vera sunt; nulla fuit causa separationis illorum, quia innocentem orbem terrarum, cui hæc demonstrare vel no[n]luerunt, vel non potuerunt, deserere non debabant.

6. Quærat fortasse aliquis, & dicat mihi: Cur ergo ista vis auferri de medio, quando communio tua, etiam si proferantur, invicta est? Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari. Si enim sanctæ Scripturæ in Africa sola designaverunt Ecclesiam, & in paucis Romæ a cutzupitanis vel montensis, & in domo vel patrimonio unius hispanæ * mulieris; quidquid de chartis aliis aliud proferatur, non tenent Ecclesiam nisi donatistæ. Si in paucis mauris provinciæ cæsariensis eam sancta Scriptura determinat; ad rogatistas transeundum est. Si in paucis tripolitanis, & byzacenis, & provincialibus; maximianistæ ad eam pervererunt. Si in solis orientalibus, inter arianos, & eunomianos, & macedonianos, & si qui illic alii sunt, requirenda est. Quis autem possit singulas quasque hæreses enumerare gentium singularum? Si autem Christi Ecclesia canonicarum Scripturarum divinis & certissimis testimoniis in omnibus gentibus designata est; quidquid adtulerint, & undecumque recitaverint qui dicunt: Ecce hic est Christus, ecce Matth. 24. illuc; audiamus potius, si oves ejus sumus, 23. vocem Pastoris nostri dicentis: Nolite credere. Illæ quippe singulæ in multis gentibus, ubi ista est, non inveniuntur: hæc autem, quæ ubi-

* Lucillæ.

a Omnes editi, Rupitanis. At Floriacensis codex eleganter scriptus habet, Cuzupitanis. Certè Cutzupitas nominat Augustinus in Epistola 53. n. 2.

ubique est , etiam ubi illæ sunt , invenitur . Ex-
go in Scripturis sanctis canonicis eam requi-
ramus .

CAPUT IV. 7. TOTUS Christus caput & corpus est.
^a Caput unigenitus & Dei filius , & corpus ejus
Ephes. 5. 23. 30.

Extra Ec-
clesiam
sunt, qui
vel de ca-
pite Chris-
to , vel de
corpo
ejus quod
est Eccle-
sia , & Chris-
ti testifi-
catione dis-
sentiant.
Ephes. 5. 23.

Quicumque de ipso capite , ab Scripturis sanc-
tis dissentient , etiamsi in omnibus locis inve-
niantur in quibus Ecclesia designata est , non
sunt in Ecclesia . Et rursus quicumque de ipso
capite Scripturis sanctis consentiant , & unita-
ti Ecclesiae non communicant , non sunt in Ec-
clesia ; quia de Christi corpore , quod est Ec-
clesia , ab ipsius Christi testificatione dissen-
tient . Verbi gratia : Qui non credunt Chris-
tum in carne venisse de virgine Maria ex se-
mine David , quod apertissime Scriptura Dei
loquitur ; aut non in corpore ipso resurrexis-
se , in quo crucifixus & sepultus est ; etiamsi
per omnes terras inveniantur per quas est Ec-
clesia , non utique sunt in Ecclesia : quia ipsum
caput Ecclesiae non tenent , quod est Christus
Jesus ; nec in aliqua divinarum Scripturarum
obscuritate falluntur , sed notissimis & apertis-
simis earum testimoniosis contradicunt . Item qui-
cumque credunt quidem quod Christus Je-
sus , ita ut dictum est , in carne venerit , & in
eadem carne , in qua natus & passus est , re-
surrexerit , & ipse sit Filius Dei , Dens apud
b Deum , & cum Patre unum , & incommutabile^a
Verbum Patris , per quod facta sunt omnia ;
sed tamen ab ejus corpore , quod est Eccle-
sia , ita dissentient , ut eorum communio non
sit cum toto quacumque diffunditur , sed in
ali-

^a Floriacensis codex , Deus Filius .

^b Idem cod. & incommutabile unum verbum Patris .

aliqua parte separata inveniatur ; manifestum
est eos non esse in catholica Ecclesia . Quapropter quia cum donatistis quæstio nobis
est , non de capite , sed de corpore , id est ,
non de ipso Salvatore Jesu Christo , sed de
ejus Ecclesia ; ipsum caput de quo conser-
timus , ostendat nobis corpus suum , de quo
dissentimus , ut per ejus verba jam dissentire
desinamus . Ille est autem unigenitus Filius
& Verbum Dei ; & ideo nec Prophetæ sanc-
ti vera loqui potuissent , nisi ab ipsa verita-
te , quod est Verbum Dei , manifestaretur eis
quod dicerent , & juberetur ut dicerent . Proin-
de prioribus temporibus per Prophetas sonuit
Verbum Dei : deinde per seipsum , cùm Ver-
goan. 1.
bum caro factum est , & habitavit in nobis : ^a
deinde per Apostolos , quos misit ad ^a se præ-
dicandum , ut esset salus usque ad fines ter-
ræ . In his igitur omnibus querenda est Ec-
clesia .

CAPUT V. 8. SED quoniam multa in alios vel ob
aliud dicta , in quos volunt , & ad ^b quos vo-
lunt maledici plerūque convertunt , multa
etiam propter exercendas rationales mentes fi-
guratè atque obscurè posita per ænigmatis ima-
gines vel ambiguitatis ancipitem sensum , fal-
aci aliquando interpretationi consonare & con-
venire creduntur , hoc etiam prædicto atque
propono , ut quæque aperta & manifesta de-
ligamus . Quæ si in sanctis Scripturis non in-
venirentur , nullo modo esset unde aperirentur
clausa , & illustrarentur obscura . Verbi enim
gratia , videte quām facile sit , vel nobis in
eos dicere , vel illis in nos , quod ait Domi-
nus

^b Scripturæ
ita sunt à
Spiritu
sanctotem-
peratæ , ut
quædam
illis obscura ,
quædam
clara & ma-
nifesta es-
sent . Ad
disputa-
tionem adfe-
renda non
sunt , quæ
utrique
parti pos-
sint esse
communia .

^a Floriacensis MS. ad prædicandum , omisso , se .

^b Idem cod. & ad quod volant .

Math. 23. **27.** nus pharisæis: *Similes estis monumentis dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem apparentis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate.* Hæc sive in illos à nobis, sive ab eis in nos dicantur, nisi prius probetur manifestissimis documentis, qui sint, qui cùm sint injusti, justos se esse confingant, conviciante magis levitate quam convincente veritate dici, quis mediocriter sanus ignoret? Aliter quippe illa Dominus in pharisæos dicebat tamquam Dominus, id est, cognitor cordis, & humanorum omnium secretorum & testis, & judex: nos autem prius debemus invenire, & ostendere quid arguamus, ne ipsi potius gravissimo crimine insanæ temeritatis arguamur. Sane si antè docuerint nos tales esse, nequaquam recusare debemus talibus sanctarum Scripturarum verbis nos reprehendi atque contundi. Ita si nos eos tales esse docuerimus, erit similiter in potestate nostra, quibus Dominicis increpationibus jam demonstratos convictosque feriamus.

Figurata & obscuræ que in utramvis partem accipi possunt, non sunt idonea ad refellendam falsitatem.
 a b
 9. Sic & illa interim seponenda sunt, quæ obscurè posita & figurarum velaminibus involuta, & secundum nos, & secundum illos possunt interpretari. Est quidem ^a acutorum hominum dijudicare atque discernere, quis ea probabilius interpretetur: sed nolumus in has ingeniorum contentiones, in ea caussa, ^b quæ populos tenet, nostram disputationem committere. Nulli nostrum dubium est, per arcam Noë, salva rerum gestarum fide, ut de-

a In MSS. *cautorum*.

b Ita Floriacensis cod. At editi, *quam populus tenet*.

letis peccatoribus domus justi à diluvio liberaretur, etiam Ecclesiam fuisse figuratam. Quæ fortè humani ingenii conjectura videretur, nisi hoc Petrus Apostolus in epistola sua diceret. Sed quod ille ibi non dixit, si quis nostrum dicat, propterea cuncta animalium genera ibi fuisse, quia in omnibus gentibus futura prænuntiabatur Ecclesia; fortassis donatistis aliud videatur, & aliter hoc interpretari velint. Similiter & ipsi aliquid obscurè & ambiguè positum, si pro sua sententia interpretentur, si nobis * pateat aliud inde dicere quod * placeat. pro nobis sonat, quis erit finis? Nam quidam eorum episcopus, cùm hic apud Hippomen, sicut audivimus, sermonem in populo faceret, dixit eamdem arcam Noë ideo bituminatam intrinsecus, ne aquam emitteret suam; ideo autem etiam extrinsecus, ne admitteret alienam. Ad hoc utique valere voluit hanc interpretationem, ne baptismus vel extra Ecclesiam posse exire creditur, vel qui extra datus fuerit, acceptetur. Visus est aliquid dicere, & acclamatum est ab eis qui libenter audiebant, nec diligenter de his, quæ audierant, cogitabant, ut quod erat facile, adverterent fieri non posse, ut extrinsecus admittat aquam compago lignorum, si non emitit intrinsecus: si autem ab ea parte quæ intus est, emitit, consequens esse, ut ab ea etiam quæ est foris, admittat. Sed & si hoc de compacto ligno verum esset quod ille dixit, quis me prohiberet de Arca ex utraque parte bituminata, si possem aliquid aliud dicere, ut incertum esset quid horum, vel quid fortassis aliud tertium res illa significaret? Neque enim absurdè dicitur, aut non etiam multò probabilius, per bitumen, quia violentum gluten

TOM. V.

B

Altera allegoria veritati magis consentea.

&

Gen. 8.

I. Pet. 3.
20.

Bituminatæ Arcæ allegoria donatistarum errori accommodata.

Ps. 62. 9. & res ferventissima est , significatam esse caritatem. Unde enim dicitur in Psalmo , *Agglutinata est anima mea post te* , nisi flagrantissima caritate? Quæ, quoniam præceptum est, ut sit nobis in invicem & in omnes, ideo & intus & foris Arca bituminata. Aut certè quia scripsit. **Cor. 13. 7.** *tum est : Caritas omnia tolerat ; vis ipsa tolerantiae tenax unitatis per bitumen significata est , quo ideo intus & foris Arca illita est , quia intus & foris mali tolerandi sunt , ne pacis compago solvatur. In hac ergo disputatione nostra parcamus talibus interpretationibus , & aperatum aliud , quo manifestetur Ecclesia , requiramus.*

Jud. 6.36. *10. Nempe scriptum est in libro Judicum: Et dixit Gedeon ad Dominum: Quoniam tu salvum facies Israël in manu mea , quemadmodum locutus es ; ecce ego pono vellus lanæ in area, & si factus fuerit ros in vellere , in omnem verd terram siccitas , sciam quoniam salvum facis in manu mea Israël , sicut locutus es. Et factum est sic : & diluculo vigilavit Gedeon in crastinum , & expressit vellus ; & decucurrit ros de vellere plena pelvis aquæ. Et dixit Gedeon ad Dominum : Non irascatur furor tuus in me, Domine, & loquar adhuc semel , & tentabo adhuc semel in vellere. Fiat siccitas in vellere tantum , in omnem autem terram fiat ros. Et fecit Deus sic in nocte illa , & facta est siccitas in vellere tantum , super omnem autem terram ros. Non video quid hinc aliud figuratum & prænuntiatum sit , nisi ut aream intelligamus orbem terrarum , locum autem velleris populum Israël. Novimus enim illam quandam gentem divini sacramenti gratia tamquam cælesti rore perfusam ; cuius muneris per omnes in cir-*

Vellus Gedeonis mistice interpretatur.

circitu gentes , quia eo carebant , tamquam siccitas erat. Erat autem apud illum populum hoc munus in vellere , id est , in velamine & quasi ^a in nube secreti , quia nondum fuerat revelatum. Nunc autem videmus orbem terrarum jam revelato rore saginari per Evangelium Domini nostri Iesu Christi , quod tunc in illo tegmine figurabatur : illam verò gentem amissi sacerdotio quod habebat , quia in Scripturis non intelligit Christum , tamquam in secco vellere remansisse. Nec in talibus tamnen rerum figuris , quamvis non videam quid hic aliud possit intelligi , volo quæramus Ecclesiam. Prorsus quæ alicujus vel talis interpretationis indigent , interim seponamus : non quia falsa sunt , quæ hoc modo de talibus tamquam involucris interpretando solvuntur , sed quia vel interprætem quærunt , nolo in eis nostra ingenia comparentur ; sed aperta veritas clamet , luceat , in obturatas aures irrumpat , dissimilantium oculos feriat : nemo in eis latebris quærat falsæ suæ sententiæ locum , omnem conatum contradicendi confundat , omnem frontem impudentis elidat.

11. O DONATISTÆ, Genesim legite.

Per met ipsum juravi , dicit Dominus , propter quod fecisti verbum hoc , & non pepercisti filio tuo amantissimo propter me , nisi benedicens benedicam te , & implendo implebo semen tuum tamquam stellas cœli , & tamquam arenam quæ secus oram maris est , & hereditate possidebit semen tuum civitates adversariorum ^b , & benedicentur in

CAP. VI.
Gen. 22.

16.
Ex scripturis , & pri-
mum ex
Lege ostendit catholi-
cam Chris-
ti Eccle-
siam.

B 2 se-

^a Floriacensis cod. & quasi nubes secreti.

^b Editi , adversariorum tuorum. Abest tuorum à Flo-
riacensi codice , & à græco LXX.

semine tuo omnes gentes terræ, quia ob-
disti vocem meam. Quid ad hæc dicitis? An
judæorum nobiscum perversitate contenditis,
ut dicatis in solo populo nato ex carne Abra-
hæ intelligendum semen Abrahæ? Sed ju-
dæi Paulum Apostolum non legunt in syna-
gogis suis, quem vos legitis in conventicu-
lis vestris. Quid ergo dicat Apostolus, au-
diamus. Quærimus enim jam, quemadmodum
Gal. 3. 15. intelligendum sit semen Abrahæ. Fratres,
inquit, secundum hominem dico, tamen ho-
minis confirmatum testamentum nemo irri-
tum facit, aut superordinat. Abrahæ dictæ
sunt promissiones, & semini ejus. Non di-
cit, & seminibus, tamquam in multis; sed
tamquam in uno, & semini tuo, quod est
Christus. Ecce in quo semine benedicuntur
omnes gentes. Ecce testamentum Dei: ape-
rite aures. *Hominis*, inquit, confirmatum
testamentum nemo irritum facit, aut su-
perordinat. Quare vos irritum facitis testa-
mentum Dei, dicendo, nec in omnibus gen-
tibus esse completum, & periisse jam de
gentibus in quibus erat semen Abrahæ? Qua-
re superordinatis dicendo, in nullis terris ha-
redem permanere Christum, nisi ubi potuit
coharedem habere Donatum? Non invide-
mus alicui: legite nobis hoc de Lege, de
Prophetis, de Psalmis, de ipso Evangelio,
de Apostolicis litteris: legite, & credimus;
sicut nos vobis legimus & de Genesi, & de
Apostolo, quia in semine Abrahæ, quod est
Christus, benedicuntur omnes gentes.
Gen. 22.
18.

12. Audite hoc idem testamentum ad
Gen. 26.1. Isaac etiam filium Abrahæ. Facta est au-
tem famæ super terram, præter famam
quæ ante facta est in tempore Abrahæ.

Abiit

Abiit autem Isaac ad Abimelech regem *.
Philistinorum in Gerara: & apparuit illi
Dominus & dixit: Noli descendere in Ægyp-
tum, habita autem in terra quam tibi di-
xero, & habita in terra hac, & ero tecum,
& benedic te. Tibi enim & semini tuo
dabo omnem terram hanc: & statuam jus-
jurandum tecum, quod juravi Abraham pa-
tri tuo: & ampliabo semen tuum tamquam
stellas cœli; & dabo tibi & semini tuo om-
nem terram hanc: & benedicentur in semi-
ne tuo omnes gentes terre pro his quæ ob-
audivit Abraham pater tuus vocem meam,
& servavit præcepta mea, & justitias meas,
& legitima mea. Respondete ad ista. Se-
men quippe Abraham hoc idem semen est
& Isaac, quod est Christus. Quomodo enim
venerit Christus ex tribu Juda in carne per
virginem, quis quoquo modo christianus ig-
norat?

13. Audite hoc idem testamentum ad Ja-
cob. Et exiit Jacob à putoe jurationis, &
projectus est in Charram, & devenit in lo-
cum, & dormivit in loco illo, quoniam so-
lis occasus erat: & sumsit lapidem ex la-
pidibus loci, & posuit ad caput suum, &
dormivit in loco illo. Et visum vidi, & ec-
ce scala stabilita super terram, cuius ca-
put pertingebat ad cœlum, & Angeli Dei
adscendebant & descendebant per illam: &
Dominus incumbebat super illam, & dixit:
Ego sum Dominus Deus Abraham patris
tui, & Deus Isaac. Noli timere: terram
in qua tu dormis super eam, tibi dabo eam
& semini tuo. Et erit semen tuum sicut are-

*Gen. 28.
10.*

na terræ, & multiplicabitur supra mare, & in africum, & in aquilonem, & ad orientem. Et benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo. Et ecce ego sum tecum custodiens te in omni via quamque ibis, & reducam te in terram hanc: quia non te derelinquam, donec faciam omnia quæ tecum locutus sum. Ecce cui promissioni resistitis, ecce quām firmum testamentum irritum faciatis. Dicit Deus: Non te derelinquam, donec faciam omnia quæ tecum locutus sum: & vos contradicatis, dicentes, ut vobis potius credamus quidquid criminis objicitis ignoto & ignaro orbi terrarum; Deo autem dicens: Non relinquam donec faciam, non credamus.

14. Legite nobis de Scripturis canoniceis eos tradidisse divinos codices, quos nominatim accusatis. Legite tam aperta, quām sunt ista quæ vobis de Genesi legimus. Non à vobis quærimus, quid lapis ille significet, quem Jacob sibi ad caput posuit cùm dormiret; quid scala stabilita super terram, cuius caput pertingebat ad cælum; quid Angeli Dei adscendentes & descendentes per illam. Requirant ista prudentiores atque doctiores, & in populo paccato eloquantur, ubi non obstrepat improba contradictione, de obscuritate sacramenti, & enigmate lectionis armans impudentiam suam. Non desunt corda fidelium, quæ commemoret Dominus ex Evangelio, ubi ait, cùm vidisset Israëlitam in quo dolus non erat, quia Jacob qui has vidit scalas, ipse dictus est Israël: non desunt ergo, quos inde ipse commemoret Dominus: ibi quippe ait: Videbitis cælum apertum, & Angelos Dei adscendentes & descendentes super Filium

*Gen. 28.
12.*

*Joan. 1.
51.*

lum hominis, id est, super semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes. Sed hæc non inculco recusantibus. Ecce quod audite: Erit semen tuum sicut arena terræ, & multiplicabitur supra mare, & in africum, & in aquilonem, & in orientem: & benedicentur in te omnes tribus terræ, & in semine tuo. Date mihi hanc Ecclesiam, si apud vos est: ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici. Date hanc, aut furore deposito accipite, non à me, sed ab illo ipso in quo benedicuntur omnes gentes. Hæc de primo Legis libro commemorasse suffecerit: plura innotescunt sine impia contentione & cum pia dilectione legentibus.

*15. QUID in Prophetis, quām multa & quām manifesta sunt testimonia Ecclesiae per prophetas. Omnes gentes toto terrarum orbe diffusæ? Unde pauca commemorabo, plura relinquens otio diligentiarum cum Dei timore legentibus. Accipiamus per hos Isaïæ sancti divina responsa, & ejus ora tamquam Dei oracula sciscitemur. Si leant humanarum contentionum animosa & perniciosa certamina: inclinemus aurem verbo Dei. Dicat Isaïas, ubi Ecclesiam sanctam Deo revelante præviderit, ut in verbis futura dicentis jam nunc præsentia videamus. *Replete est, inquit, universa terra ut cognoscat Dominum, ut aqua multa operiat mare. Et erit in illa die radix Jesse, & qui exsurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt.* Radicem Jesse Christum esse ex semine David secundum carnem natum, nullus quoquo modo christianus ignorat: & si contentiosus est, cum Apostolo contendat, qui hoc testimonio in litteris suis*

*Gen. 28.
14.*

*CAP. VII.
Ex Proph.*

*Isai. 11.9.
& 10.*

*Rom. 15.
12.*

Isai. 27.6. utitur. Item dicit: Germinabit & florescet Israël, & replebitur orbis terrarum fructus ejus. Israël nempe filius fuit Isaac, nepos Abraham, cui promissum est, quod in semine ejus benedicerentur omnes gentes: quod semen Christum interpretatur Apostolus.

Gen. 22.18. Item dicit: Venit autem Christus ex semine Abraham per Isaac & per Israël, & deinceps, sicut generationes ad ortum Christi pertinentes Evangelista contextit. Qui ergo vult contraria disputare, contradicat Evangelio, neget ex semine Israël venisse Christum, ut possit negare

Matth. 1.1. quod Isaías dicit: Germinabit & florescet Israël, & replebitur orbis terrarum fructus ejus. Item dicit: Ego Deus primus, & in his quae advenient ego sum. Viderunt gentes, & timuerunt fines terræ. Hoc est quod alibi Scriptura dixit: Primus & novissimus, ut sit α & ω, quae sunt litteræ in signo Christi omnibus notæ. Pro eo enim quod ibi est, novissimus, hinc positum est, & in his quae advenient ego sum. Huic ergo manifestationi contradicunt, qui nolunt credere, immo qui nolunt jam videre compleri quod sequitur: Viderunt gentes, & timuerunt fines terræ.

Isai. 41.4. Item dicit: Item paulò post: Jacob puer meus, suscipiam illum; Israël electus, suscepit eum anima mea. Dedi Spiritum meum in illum: judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque cessabit, neque audiatur forsitan vox ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, sed cum veritate proferet judicium. Refulgebit, & non confringetur, donec ponat in terra judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt. Hoc testimonium de Christo intelligendum, & in Evangelio positum est.

Isai. 42.1. Item paulò post: Jacob puer meus, suscipiam illum; Israël electus, suscepit eum anima mea. Dedi Spiritum meum in illum: judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque cessabit, neque audiatur forsitan vox ejus. Arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, sed cum veritate proferet judicium. Refulgebit, & non confringetur, donec ponat in terra judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt. Hoc testimonium de Christo intelligendum, & in Evangelio positum est.

est. Qui audet, contradicat: qui autem non audet, speret in eum cum gentibus, & ab unitate gentium in eum sperantium non recedat; aut si recesserat, redeat, ne pereat.

Isai. 49.5.

16. Item dicit Isaías: Et nunc sic dicit Dominus, qui finxit me in utero servum sibi: ut congregem Jacob & Israël a eum, appropinquabo illum, & honorabor coram Domino, & Deus meus erit mihi virtus: & dixit mihi: Maximum tibi erit hoc, vocari te puerum meum, ut constituas tribus Jacob, & prolem Israël convertas. Et posui te in testamentum generis in lucem gentium; ut sis salus usque ad fines terræ. Et paulò post: Sic dicit, inquit, Dominus Israël: Tempore aptissimo exaudiui te, & in die salutis adjuvi te. Certè ista verba cum commemorasset Apostolus Paulus, non nisi in christianis ostendit impleri. Connexuit enim dicens: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Audiamus ergo quid Isaías adjungat: Dedi te, inquit, in testamentum gentium, ut incolas terram, & possideas hereditatem deserti. Et interpositis deinde connectit, & dicit: Ecce isti à longinquo venient; hi autem ab aquilone & mari; alii autem ex terra Persarum. Exulta, cælum, & in letitia esto, terra, emittant montes jocunditatem, quoniam missus est Deus populi sui, & humiles populi sui allocutus est. Dixit autem Sion: Dereliquit me Dominus, & Deus oblitus est mei. Numquid capiet oblivio mulierem

Ibidem 12.

fit

a In Floriacensi MS. & Israël. Ad eum appropinquabo, & honorabo coram Domino. In græco LXX. est, οραχθεισμαι γ διξασθεισμαι επαγγελησθαι κατιον κυπις.